



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 12. Utrùm parvuli, qui sine baptismo moriuntur non solùm pœna damni, quæ in privatione visionis beatificæ consistit, sed etiam pœna sensus, quæ posita est in cruciatu ignis æterni, propter ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

inferos, in quo parvuli non baptizati degere possint. Unde sic argumentor breviter. Parvuli non baptizati, vel erunt in cælo, vel in inferno. Non primum, ut fides docet. Ergo, &c.

Sic argumentatur Author Hypognoſtici apud Auguſtinum lib. 5. poſt medium : *Ecce non baptizatus .. dividitur a regno cœlorum , ubi fons vivientium permanet Chriſtus. Da mihi præter hunc alterum locum ubi vita poſſit requies eſſe perennis. Primum enim locum fides Catholicorum divina autoritate regnum credidit eſſe cœlorum , unde , ut dixi , non baptizatus excipitur. Secundum , gehennam , ubi omnis apoſtata , vel a Chriſti fide alienus æterna ſupplicia experietur . Tertium penitus ignoramus , imò nec eſſe in Scripturis ſanctis invenimus. Finge Pelagiane , locum ex officina dogmatis tui , ubi alieni a Chriſti gratia vitam requiei & gloria poſſidere parvuli poſſint. Igitur juxta hunc antiquiſſimum & laudatiſſimum Authorcni , præter regnum cœlorum & gehennæ locum , non poſſet ſingi tertius locus , in quo poſt hanc vitam conſtitui poſſint parvuli non baptizati . Atqui a regno cœlorum , ubi fons vivientium permanet Chriſtus , in perpetuum excipiuntur . Non ergo alius ei ſuper eſt locus , quàm locus gehennæ .*

Prob. 4. ead. min. Illi sunt in perpetuum damnandi, qui in perpetuum erunt sub captivitate & potestate dæmonis. Atqui parvuli sine baptismo mortui, erunt in perpetuum sub captivitate dæmonis. Ergo, &c. Major pariter: nam æterna illa captivitas non potest esse effectus nisi damnationis æternæ. *Prob. min.* Illi in perpetuum erunt sub captivitate dæmonis, qui nunc ab hac captivitate liberabuntur. Atqui parvuli sine baptismo mortui, nunquam liberabuntur ab hac captivitate. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. parvuli nascuntur sub potestate dæmonis propter peccatum originale. 2. Ab hac captivitate liberari non possunt, nisi per baptismum. Atqui parvuli sine baptismo mortui, nunquam liberari poterunt ab hac captivitate per baptismum. Ergo, &c. Minor pariter; quia post hanc vitam non est amplius baptismus locus.

Utrunque majoris partem docet S. Augustinus . Nam sic ait lib. i. de nuptiis c. 23. *Hoc ergo generi humano insitum vulnus à diabolo quidpiam per illud nascitur cogit esse sub diabolo.* Et lib. 2. c. 28. *Accusat Ecclesiam, toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infanzuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa ira possideantur, cum in Adam nascuntur, si in Christo non renascantur, & in ejus regnum per gratiam facta vasa misericordie transferantur.* Ex quibus verbis sic adhuc argumentor breviter. Parvuli sine baptismo mortui, nunquam liberabuntur à captivitate demonis, nisi tandem aliquando per gratiam Christi facti vasa misericordie, transferantur in ejus regnum. Atqui nunquam per gratiam Christi facti vasa misericordie, transferentur in ejus regnum: alioqui tandem aliquando fruerentur celesti beatitudine, quod est contra fidem. Ergo, &c.

Quares, utrū parvuli, qui sine baptismo moriuntur, passuri sint internum animi dolorem, propter privationem cœlestis beatitudinis.

R. affirmativè. Nam ita expressè sentit S. Augustinus : sic enim loquitur lib. 6. contra Julian. c. 10. de parvulis sine baptismo mortui, quos innocentes vocat, quia nullum propria voluntate peccatum commiserunt, vel quia ex doctrina Juliani argumentatur. *Si hoc eis non erit malum (quòd in æternum separentur à regno cælesti,) non ergo amabunt regnum Dei, tō innocentes imagines Dei ? Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac separatione patientur ?* Itaque juxta S. Doctorem, parvuli sine baptismo mortui, 1. aliquam habebunt cælestis beatitudinis notitiam. 2. Se ad illa, nisi impederentur, fruendum à Deo creatos fuisse intelligerent. 3. Magno illius desiderio tenebuntur. Ergo non poterunt non pati internum ani-

Simonnet Theol. Tom. I.

mi dolorem, quòd ab illa ob culpam in primo pa-
rente commissam in aeternum exciderint. Nec ni-
gratis omnino dici potest Deum per specialem pro-
videntiam omnem ab eorum animis amotum esse
dolorem : cum enim in aeternum mansuri sint
in statu peccati mortalis, proindeque maculati, odi-
biles Deo & damnatione digni, nullum prorsus fun-
damentum esse potest, illis attribuendi specialem ali-
quam Dei providentiam.

Præterea, ut jam vidimus, S. Doctor lib. 1. de anima & ejus orig. c. 9. hæc habet: *Parvulis non baptizatis nemo promittat quietis aut felicitatis cuiuslibet, atqui ubilibet, inter damnationem regnumque colorum, quasi medium locum: hoc enim eis hæresis Pelagiana promissit.* Igitur juxta S. Doctorem, non potest nisi contra fidem parvulis fide baptismi morientibus, promitti quies æterna. Atqui magna pax & quiete in æternum fruerentur, si ne interitum quidem animi dolorem aliquem ex jactura cælestis beatitudinis haurirent. Ergo, &c.

ARTICULUS XII.

Utrum parvuli, qui sine baptismo moriuntur, non solum pœna damni, quæ in privatione visionis beatificæ consistit; sed etiam pœna sensus, quæ posita est in cruciatu ignis æterni, propter originale peccatum multandi sint.

R E S P O N S I O I.

Videntur Patres Latini magno consensu partem affirmativam tenuisse post exortam hæresim Pelagianam.

Prob. Nam i. S. Hieronymus in tertio contra Pelagianos dialogo extremo, sub nomine Critobuli hanc Pelagianorum contra Catholicos refert querimoniam. *Non possum ultra differre. Omnis vincitur patientia vestrorum iniquitate verborum. Oro te, quid infantuli peccaverem? Non peccare non possum, & possum perire. Genula labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua non videtur, & aeterna miseria cruciatus miseris preparantur.* Ad hanc autem querelam respondens Hieronymus, non negat hanc esse suam & aliorum Catholicorum sententiam, quod parvulus non baptizatus maneat in altera vita aeternae miseriae cruciatus, seu aeternum ignis supplicium; quid enim aliud intellegere potuit per aeternae miseriae cruciatus? Sed totus est in probando, *omnes homines, aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine in teneri peccato obnoxios.* Quod non videtur facere, nisi ut ostendat parvulus non baptizatus aeternae miseriae cruciatibus, seu aeterno ignis supplicio dignos esse.

2. S. Augustinus in serm. 14. de verbis Apostoli sic loquitur: *Venturus est Dominus & iudicaturus de vivis, & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturum est, dexteram & sinistram. Sinistris dicitur: Ite in ignem eternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Dextris dicitur: Venite benedicti Patri mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hanc, regnum nominat, hanc, cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis iudicabitur, alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram, non novi aliud... Si ergo dextera erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextera regnum celorum est. Percipite, inquit, regnum. Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? Ite in ignem eternum. In dextera, ad regnum utique eternum; in sinistra, in ignem eternum. Qui non in dextera, proculdubio in sinistra. Ergo qui non in regno proculdubio in ignem eternum. Certe habere non potest vitam eternam, qui non baptizatur; non erit in dextera, id est, in regno non erit... Prius regnum nominavit, sed in dexteris, ignem eternum in sinistris. Extrema autem sententia ut doceret quid sit regnum, & quid sit ignis eternus, tunc, inquit, adibunt isti in combustionem eternam, iusti autem in vitam eternam. Ecce exposuit tibi quid sit regnum, & quid ignis eternus, ut quando*

confiteris parvulum non futurum in regna, fatearis futurum in ignem eternum.

Ecce aperte docet S. Augustinus, 1. parvulos sine baptismo mortuos, cum reliquis hominibus resurrecturos. 2. Illos in extremo die fore in sinistra Iudicis cum aliis omnibus reprobis. 3. Illis, perinde ac omnibus aliis reprobis, Iudicem dicturum: Ire in ignem eternum. 4. Per ignem eternum intelligendum esse, non solum locum, sed etiam cruciatum ignis eterni. *Extrema autem sententia ut doceret* (Dominus) *quid sit regnum, & quid sit ignis eternus, tunc, inquit, abibunt isti in combustionem eternam, iusti autem in vitam eternam.* Christus igitur, interprete S. Doctore, per ignem eternum intelligit combustionem eternam, sicut vitam eternam intelligit per regnum; hoc est, per ignem eternum intelligit actionem eternam ignis infernalis, sicut per regnum intelligit eternam fruitionem celestis beatitudinis.

Confirm. Quia ibidem S. Doctor inter regnum Dei & cruciatum ignis eterni nullum fore medium, probat ex eo quod Apostolus, ut terreat homines facinorosos, solum dicat, qui talia agunt, regnum Dei non esse possessuros, hoc modo loquendi aperte supponens, eos omnes igne eterno cruciatum iri, qui a regno celesti excluduntur. *Nec aliud, inquit, Paulus Apostolus, cum terret homines, non parvulos non baptizatos, sed sceleratos, facinorosos, contaminatos, perditos: non eos terret, quod erunt in igne sempiterno, quod sine dubio ibunt, si non corriguntur: sed tantum terret, quia in regno non erunt: ut cum viderint se perdere spem regni, non viderent esse consequens, nisi penam ignis eterni.* Nolite, inquit, errare; neque fornicatores, neque idolis servientes... regnum Dei possidebunt. *Non dixit, Illi & illi, tales & tales igni eterno torquebuntur: sed, Regnum Dei non possidebunt.* Subtrahit dextera, non remanebit nisi sinistra. Unde autem evadent ab igne sempiterno? *Non ad aliud, nisi quia erunt in regno.*

3. Author Hypognostici Augustino plane consentit loco jam superius citato, ubi inter celestem beatitudinem & ignis eterni gehennam nullum fore medium ait & inculcat. *Primum locum, inquit, fides Catholicorum divina autoritate regnum credit esse celorum, unde, ut dixi, non baptizatus excipitur: secundum gehennam, ubi omnis apostata, vel a Christi fide alienus, eterna supplicia experietur: tertium penitus ignoramus, imo nes esse in scripturis sanctis invenimus.* Finge, Pelagiane, locum ex officina perverſi dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia, vitam requies & glorie possidere parvuli possunt. Dextera est iusti sedentis iudicis, & sinistra, regnum est & gehenna, vita est & mors, iusti sunt & iniqui. In dextera igitur iusti sunt constituti, in sinistra operarii iniquitatis. In regno requies baptizatorum, in gehenna pena incredulorum. Vita ad latitiam glorie, mors ad pietum & stridorem dentium. Iusti in regno Patri cum Christo, iniqui in igne eterno, parati diabolo & angelis ejus. Sed hac dicens, non divisiones multorum locorum dedi, nisi duorum tantum, quoniam ad duo, regnum videlicet & gehennam, hac omnia referuntur, etiamsi plura dicantur.

4. S. Avitus Viennensis in carmine ad sororem Fulcinam sic ait de parvulo moriente sine baptismo:

*Quique genitricis cum cessat filius esse,
Perditionis erit: tristes tunc edita nolunt,*

Quae flammis tantum genuerunt, membra parentes. Ecce aperte dicit parvulos, non baptizatos, esse filios perditionis, & flammis urendos in inferno.

5. S. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum c. 27. hac habet: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines, jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in utero matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, live jam de matribus nati, sine Sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, ignis eterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi peccatum proprie actionis nullum ha-*

buerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.

6. Quindecim Episcopi Africani, in Sardinia exules, & quorum unus erat ipse Fulgentius, non minus aperte loquuntur in lib. de incarn. & grat. apud eund. Fulg. c. 30. *Alios (infantes) quomodo sine baptismo mortuos aeternis cruciatibus damnat (Deus), cum in eis nullam culpam male voluntatis inveniat? Nonne istos inimicos gratiae Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii, ad hoc sua perversitas cogit, ut Deam putent iniquum in obitu omnium parvulorum, ubi nulla interveniente vel bonitate vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio? Immediatè antea dixerant: Si ergo ad salvandos homines, sicut isti volunt, non excitat neque mutat, sed expectat hominum voluntates, quomodo infantibus, qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat eternam salutem, quorum bonam nec expectat nec invenit voluntatem? Item alios &c.* Igitur quod parvuli non baptizati eternum igne infernali cruciandi sint, sicut quod parvuli baptizati potiri sint aeterna beatitudine, tanquam certum assumunt ad impugnandam haeresim Pelagianam.

7. Gregorius Magnus lib. 9. mor. cap. 12. sic ait: *Nonnulli etenim prius à presenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona malae merita activae vitae perveniant, quos quia à culpa originis sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt... perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.* Quid autem per perpetua illa tormenta, quae parvuli non baptizati percipiuntur sunt, intelligere dicendus est S. Doctor, nisi cruciatum ignis eterni?

8. S. Isidorus Hispalensis lib. 1. differ. spir. num. 26. hac habet: *Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse ascriptas, quae nisi percipiant baptismatis sacramentum, regni celestis participes esse non possunt, sed cum carne & commune habebunt peccatum, & pari iudicio damnabuntur in ignem eternum.* Quid autem est animam cum carne damnari in ignem eternum, nisi totum hominem damnari ad cruciatum ignis eterni?

9. S. Anselmus lib. de conceptu Virginis & peccato originali cap. 22. sic loquitur: *Sed cum nemo dubitet, quia par pena non sequatur imparia peccata, in hoc tamen similis est & personalis & originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine qua non redditur, quod pro Ade peccato debetur, quamvis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem iudicii nullus erit angelus aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno.* Igitur juxta S. Anselmum, omnes omnino reprobi, tam parvuli quam adulti, erunt in inferno, ibique torquebuntur, quamvis non aequaliter, propter inaequalitatem demeritorum. Torquebuntur autem, quia igne comburentur. Quid enim aliud hac vox, torquere, hic significare potest?

10. S. Alredus Abbas in Anglia, qui floruit saeculo XII. lib. 1. Speculi charitatis cap. 15. ubi agit de iusta parvulorum non baptizatorum punitione per ignem inferni, sic dicitur: *Quid enim? injustum estimas, ut lignum inutile & infructuosum ignis depascat? Cogita queso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis inficiatum, iustissime additum flammis, igni destinatum, ad iudicium damnationi.*

Porro contra illud, quod de S. Augustini sententia diximus, obijciuntur 1. ea loca, in quibus ait S. Doctor mitissimam fore penam parvulorum non baptizatorum, eos in damnatione omnium levissima futuros. Nam sic loquitur in Enchir. c. 93. *Mitissima sane omnium pena erit eorum, qui praeter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt, & in ceteris, qui addiderunt, tanto quisque tolerabiliorem ibi habebit*

dam-

damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. Lib. 1. de peccator. merit. cap. 16. *Potest proinde recte dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros.* Et lib. 5. contra Julianum cap. 11. *Ego autem non dico parvulos, sine Christi baptismo morientes, tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret, cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & usque non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die iudicii punietur, quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros?* Sed hæc habent facilem solutionem: cum enim S. Doctor dicit parvulos non baptizatos fore in damnatione omnium levissima & mitissima, manifestè loquitur de damnatione levissima & mitissima, non absolute, sed relatè ad damnationem aliorum reprobatorum, qui habuerunt peccata propria & personalia.

Hæc autem, quæ ultimo loco subicit, verba, *Quæ, qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret, non difficilem habent sententiam, juxta ea quæ hæcenus dicta sunt de mente S. Doctoris.* Nam perinde est, ac si S. Doctor diceret: *Quid, quomodo & quantum ab igne infernali passuri sint parvuli non baptizati, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, &c.* Quia hoc nimirum Dominus, non de peccatoribus quibuslibet dixit, sed de scelestissimis tantum & impiissimis, qualis scilicet fuit Judas, de quo ait Christus Matth. cap. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ex eo autem, quod Augustinus dubium fuerit, quid, quomodo & quantum parvuli non baptizati passuri sint ab igne, concludi non potest, quod ei dubium quoque fuerit, utrum aliquid ab eo passuri sint, an non. Sic dubius erat, quid, quomodo & quantum patiantur ab igne demones, & tamen minimè dubius erat, utrum ab eo patiantur aliquid, an non, cum agebat eos ab igne miris, sed veris modis torqueri.

Obj. 2. S. Doctor lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. ad hanc Manichæorum de parvulis sine baptismo morientibus objectionem: *Quid opus erat, ut nasceretur, qui antequam iniret ullum vite meritum, excessit e vita? aut qualis in futuro iudicio deputabitur, cui neque inter justos locus est, quoniam nihil rectè fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit?* Respondet sic: *Ad universitatis complexum, & totius creature vel per locos vel per tempora ordinatissimam connexionem, non posse superfluo creari qualemcumque hominem, ubi solum arboris nullum superfluo creatur, sed sanè superfluo queri de meritis ejus, qui nihil meruerit. Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quadam inter rectè factum atque peccatum, & sententia iudicis media esse non possit inter premium atque supplicium.* Ecce S. Doctor pro parvulis non baptizatis admittit mediam quandam viam inter meritum & demeritum, & mediam quandam iudicis sententiam, ita ut nec premio donandi, nec supplicio afficiendi sint, sicque medium quiddam post diem iudicii sanctos inter & damnatos in perpetuum sint obrenturi.

Resp. Ex hoc loco S. Doctoris nihil planè effici posse contra ea, quæ sunt dicta de mente ejus circa poenam parvulorum non baptizatorum. Nam 1. hoc loco loquitur de supplicio in genere, non de hoc vel illo supplicio in specie; nec aliud vult, quam possibilem esse hypothesein, in qua parvuli, antequam mereri vel demereri possint, ex hac vita decedentes, nec premio donentur, nec supplicio afficiantur. Quid autem hoc ad rem præsentem?

2. Ex hoc loco ad summum conjici potest, quod

S. Doctor circa poenam parvulorum non baptizatorum dubius fuerit, cum laicus Romæ inchoavit, & in Africa presbyter perfecit libros de libero arbitrio ante exortum Pelagianæ hæresis. Certè non aliud ex hoc loco concluderunt Massilienses, ut refert Hilarius in sua ad Augustinum epistola: *Parvulorum, inquit, causam ad exemplum majorum non patitur afferri, quam & tuam sanctitatem dicunt eatenus attigisse, ut incertum esse volueris, ac potius de eorum pœnis malueris dubitari, quod in libro tertio de libero arbitrio ita positum meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere.*

3. Permissio, non concessio, quod S. Doctor circa parvulorum non baptizatorum poenam incertus fuerit, cum scripsit libros de libero arbitrio, inde malè concluderetur eum postea semper circa poenam illam fluctuasse: potuit enim postmodum proficere, & proficiendo, veritatem quam antea ignoraverat, investigare. Ita S. Doctor ipsemet respondet libr. de bono persever. cap. 12. *Si quando, inquit, libros de libero arbitrio laicus Romæ cepi, & in Africa presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium, non renascentium, & de nascentium liberatione dubitarem; nemo, ut opinor, est tam injustus atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret.*

4. Ex verbis laudatis nequidem potest inferri S. Doctorem, cum libros de libero arbitrio contra Manichæos scriberet, dubitasse de pœnis parvulorum non baptizatorum: sed simpliciter dicendus est, hanc de pœnis parvulorum questionem tunc tractare noluisse, quia hoc minimè necessarium erat ad refellendum errorem Manichæorum, duarum naturarum, boni scilicet & mali, permixtionem asserentium. Ita ipsemet S. Doctor: nam libr. de bono persever. cap. 12. post verba modò citata sic prosequitur: *Cum vero rectius possit intelligi, non me propterea de hac re dubitasse credi oportere, quia contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt resellendi, ut si poena esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet; si poena non esset, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali, permixtio crederetur.*

5. Denique, quantum ab hac dubitatione circa parvulorum non baptizatorum poenam, sive genericè, sive etiam specificè sumptam, abhorruerit, declarat verbis hoc ultimo loco proximè subsequen-
tibus: nam sic immediatè prosequitur: *Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transcant in æternam salutem; non regenerati autem transcant in mortem secundam; quoniam quod scriptum est (Per unum hominem, &c.) aliter rectè intelligi non potest, nec a morte perpetua, quæ iustissime est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille qui propter remittenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est sine ullo suo originali proprio peccato.*

Per mortem autem secundam idem profectò intelligit, quod intelligitur Apocalypsi. cap. 20. ubi dicitur: *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis, hæc est mors secunda. Et qui non inventus est in libro vite scriptus, missus est in stagnum ignis.* Similiter quod per mortem æternam intelligat supplicium ignis æterni, patet ex lib. 13. de Civ. c. 2. ubi ait: *Mors anima fit, cum eam deserit Deus, sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, idest, totius hominis mors est, cum anima a Deo deserta deserit corpus..... Huiusmodi autem totius hominis mortem illa sequitur, quam secundam mortem divinarum eloquiorum appellat auctoritas. Hanc Salvator significavit, ubi ait: Euntem timete, qui habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam. Mors autem, quæ mortem totius hominis sequitur, est mors æterna, quæ proinde est mors*

mors secunda, & gehenna, quo nomine ignis æterni supplicium in Scripturis significatur.

Obj. 3. In epist. 28. ad Hieronymum sic loquitur S. Augustinus: Cum ad penas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coartor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio, Resp. Hunc locum difficultatem non habere: nam dicit tantum, quod in hypothese creationis animarum singularum pro singulis corporibus, explicare non valeat, quomodo iuste parvuli puniantur non solum pœna æterna post hanc vitam, si moriantur absque baptismo, sed etiam multis pœnis temporaneis in hac vita. Nam sic prosequitur: Non solum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quod necesse est trahantur, si de corpore exierint sine Christiane gratie sacramento; sed eas ipsas, quæ in hac vita delentibus nobis versantur ante oculos,

RESPONSIO II.

Opposita nihilominus sententia, quæ tenet parvulos non baptizatos, non puniri pœna sensus, post sæculum xii. brevi sic invaluit, ut eam omnes, aut ferè omnes Doctores scholastici amplexi sint.

Prob. Nam i. sæculo xiii. sic loquebatur S. Thomas quæst. 5. de malo art. 2. in O. Dicendum quod, sicut communiter dicitur, peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ. Præcipua autem ejus ratio est, quia pœna proportionatur culpæ: & ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio ab incommutabili bono, & conversio ad bonum commutabile, debetur & pœna damni... respondens aversioni, & pœna sensus respondens conversioni. Sed in peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio anime à iustitia originali: & ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni.

In resp. ad i. sic solvit argumentum pro contraria sententia, ab Augustini & aliorum Patrum auctoritate petum: Dicendum quod nomen tormenti, supplicii, gehennæ & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum invenitur, est large accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui assererant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi.

S. Thomas consentit S. Bonaventura in 2. dist. 33. art. 3. quæst. 1. in O. ubi, relata alia, quam paucorum esse dicit, sententia, sic prosequitur: Sed cum valde durum illud dicere videatur, quod Deus tam durè & tam asperè agat cum parvulis sic descendentibus, qui omnino non potuerunt vitare nec mortem culpæ, nec mortem naturæ: præsertim cum videamus Deum cum impiissimis & sceleratissimis peccatoribus in multis misericorditer agere: ideo est alia positio mitior, quæ magis concordat pietati fidei, & iudicio rationis, quod quia parvuli decedentes cum originali, carent iustitia, & Spiritus sancti gratia, quæ est pignus hereditatis æternæ, privantur in æternum Dei visione; quia verò in carne fuit fœditas, ideo ponentur in loco vili, utpote infernali: sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentient pœne ignis acerbiter. Hunc modum dicendi magis approbant Magistri communiter.

Porro utrique, & aliis ejusdem sententia Doctoribus præverat Magister Sent. sæculo xii. dist. citata litt. E. ubi sic loquitur: Non ergo pro peccatis parentum actualibus, nec etiam pro actualibus primi parentis, sed originali, quod à parentibus trahitur, parvuli damnabuntur: pro eo nullam aliam ignis materialis vel conscientie vermis pœnam sensuri, nisi quod Dei visione carebunt in perpetuum.

2. Sæculo xiv. Scotus in 2. dist. 33. quæst. unic. hæc habet: Hec videtur Magistrorum esse sententia,

quod damnati pro solo peccato originali nullam habebunt pœnam sensus exterioris, puta ignis, quia nullam delectationem inordinatam habuerunt, cui delectationi correspondeat acerbitas ignis affligentis, ut propria pœna. Auctoritati autem S. Augustini respondet cum S. Bonaventura, quem citat.

Habemus etiam pro sæculo illo testem locupletissimum Gregorium Ariminensem in 2. dist. 33. qu. 3. ubi sic procedit: Tertiò, quero utrum decedentes cum solo originali peccato, puniantur aliqua pœna sensus.... Resp. Opinio Magistrum Sententiarum est ad partem negativam.... Cum eo concordant omnes moderni Doctores, quorum scripta circa materiam istam perlegi, &c. Postquam autem oppositam sententiam, esse S. Augustini sententiam fusè & accuratè probavit, sic concludit: Quia tamen hujus questionis non vidi partem aliquam expressè determinatam ab Ecclesia, & tremendum mihi videtur negare auctoritates Sanctorum, è contra etiam non est tutum contraire communi opinioni & consensui Magistrorum nostrorum: idcirco neutri parti alteram præferens, disputationem earum lectori relinquo.

3. Sæculo xvi. Estius in 2. dist. 33. §. 8. affirmat omnes ferè Scholasticos sequi sententiam Magistrum, parvulos non baptizatos, à pœna sensus exemptos. Expositis autem partis utriusque momentis, sic ait: In hac opinionum contrarietate in primis scire oportet, neutram à suis auctoribus, excepto Fulgentio... tanquam fide tenendam asseri, aut oppositam velut hereticam damnari. Quare & nos hanc de sensibili pœna questionem in medio relinquentes, dicimus rationes utrimque allatas, non omnes ejusmodi esse, quæ efficaciter concludant, aut probabiliter solvi non possint.

Porro hæc Magistrum sententia, quam post duodecimum sæculum tanta contentione amplexi sunt Doctores scholastici, non caret præsidio Patrum, qui ante Pelagiana tempora vixerunt. Nam S. Gregorius Nazianzen. orat. 40. quæ est in sanctum baptismum, de parvulis sine baptismo mortuis loquens, sic ait: Futurum existimo, ut postremi nec cœlesti gloria, nec suppliciis à iusto iudice afficiantur. Et S. Gregorius Nyssenus oratione de iis, qui præmaturè abripiuntur, hæc habet in fine: Immatura mors infantium neque in doloribus ac miseriis esse eum, qui sic vivere desit, intelligendum esse nobis suggerit. His communiter adjungitur S. Ambrosius lib. 2. de Abraham, cap. ult. quasi dicat parvulos non baptizatos, immunitatem habere pœnarum; sed regni honorem non habere. Sed videtur hæc auctoritas prætermittenda: non enim dicitur in textu, Non habent, sed: Nescio an habeant regni honorem, quod malè coheret cum his Christi verbis: Nisi quis renatus fuerit, &c. paulò superius citatis. Locus igitur Ambrosii mendosus videtur.

Pro hac sententia citat etiam S. Bernardum Doctor Angelicus art. citato in Sed contra. Locus S. Bernardi est in serm. 3. in tempore resurrectionis, in quo sic loquitur: Quid enim odit & punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deserviet, nisi in propriam voluntatem? Sed, inquit S. Thomas, originale peccatum non est peccatum propriæ voluntatis, imò consequitur ex voluntate aliena. Ergo peccato originali non debetur pœna sensus. Sed quid, si respondeatur voluntatem Adami, quæ fuit morale caput humani generis, fuisse nostram voluntatem propriam secundum moralem estimationem?

Afferitur denique auctoritas Innocentii III. cap. Majores, extra de baptismo, ubi hæc leguntur: Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis verò peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus. Ad hunc textum respondet pro sententia S. Augustini Gregorius Ariminensis questione superius citata: Decretalis non dicit, quod sola carentia divinæ visionis sit pœna peccati originalis: nec ait, quod solius actualis peccati cruciatus gehennæ est pœna: quod

rum utrumque, vel alterum dicendum esset, ut sufficeret ad probandum intentum.

Contra benigniorem hanc sententiam opponitur, 1. autoritas S. Augustini & aliorum Patrum, quorum testimonia relata sunt resp. 1. Quid autem ad illa respondeat S. Thomas, supra retulimus. Respondet S. Bonaventura questione citata: *Dicendum, quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere, quod parvuli sensibilibus crucientur: sed intendit eorum poenam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, & quantum etiam ad vilitatem loci. Et hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, & minus volens intelligi. Nec sine causa loquitur sic: hoc enim facit ad extirpandam illam heresim, quae dicebat parvulos nulla poena puniri. Unde sicut in moribus documentum est, quod qui vult ab uno extremorum pervenire ad medium, quasi debet declinare ad aliud extremum: sic etiam B. Augustinus, ut illam heresim extirparet, quae dicebat parvulos ab omni poena immunes, & ad medium reduceret, videlicet ad poenam carentiae visionis Dei, simpliciter asseruit eos cum aliis peccatoribus aeternaliter damnari. Istum autem suum intellectum explanavit in Enchir. ubi dixit poenam eorum esse mitissimam. Utrum autem haec angelici & seraphici Doctoris responsiones dictorum Patrum mentem exprimant, aliis iudicandum relinquimus.*

Opponuntur 2. varii Scripturae textus. Nam 1. Matth. cap. 3. Joannes Baptist. de Christo loquens, sic ait: *Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Unde sic argumentantur. In area Domini erunt tantum triticum & paleae. Ergo quisquis non erit triticum, erit palea, & comburetur igni inextinguibili. Atqui parvuli non baptizati, non erunt triticum; alioqui congregarentur in horreum Domini, hoc est, admitterentur in regnum coeleste. Ergo, &c. Respondet Bellarminus, nomine areae intelligendam esse Ecclesiam catholicam, in qua nunquam fuerunt parvuli non baptizati, quos proinde textus citatus non spectat. Sed quid, si dicatur, nomine areae intelligi etiam posse mundum universum?

2. Matth. cap. 13. dicitur: *Iteum simile est regnum colorum: sagine missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam, cum impleta esset, cunctantes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Sic erit in consummatione saeculi; exhibent Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Atqui parvuli non baptizati, erunt de numero malorum. Ergo separabuntur de medio iustorum, ut mittantur in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium. Resp. Cum hic per sagem intelligi Ecclesiam certum sit, recte dicitur Scriptura hoc loco in sensu restricto loqui de extremo iudicio, prout spectabit eos, qui fuerint in Ecclesia, & sic hunc locum ad parvulos non pertinere.

3. Apocal. cap. 20. legitur: *Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita, & iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.... iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.... qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* Unde sic arg. Magni & pusilli comparebunt ante iudicem. Ergo non solum adulti omnes, sed etiam parvuli omnes, qui ante adultam aetatem vitam finierunt. Non autem comparebunt, nisi ut iudicentur. Item de singulis iudicabitur secundum opera ipsorum. Ergo de parvulis non baptizatis iudicabitur secundum opus malum, quod non quidem sua, sed Adami voluntate patrarunt. Item quicumque non inventus fuerit in libro vitae, mittetur in stagnum ignis. Sed parvuli non baptizati non inventiuntur in libro vitae. Ergo, &c.

Respondent fortassis aliqui, hunc textum spectare solos adultos, qui propria voluntate bene vel male agere potuerunt. Sed haec responsio merito improbat a Bellarmino, quia re vera textus generalis est, & ad omnes omnino homines, qui ante, vel post adultam aetatem vivere desierint, pertinet. Melius ergo respondebitur, si dicatur parvulos non baptizatos, cum in libro vitae non sint inveniendi, mittendos in stagnum ignis, non ut comburantur, sed ut ibi detineantur in perpetuum.

4. Matth. cap. 25. legitur: *Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis, & statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. Tunc dicit Rex his, qui a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim & dedistis, &c. Tunc dicit & his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: Esurivi enim, & non dedistis, &c. Et ibunt ibi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.*

Ex his autem habemus, 1. omnes omnino homines, qui aliquando fuerint, resurrecturos, & congregandos ad iudicium: hoc enim satis aperte significant haec voces, *omnes gentes*. 2. In iudicio illo duo tantum fore loca, dexteram scilicet iudicis sedentis, & sinistram. 3. Ex omnibus hominibus illic congregatis, in dextra fore omnes & solos electos, omnes vero reliquos in sinistra. 4. Iudicem omnibus qui erunt in dextra, dicturum: *Possidete regnum;* & omnibus, qui erunt in sinistra: *Discedite in ignem aeternum.* 5. Hos in supplicium aeternum ituros, illos autem in vitam aeternam. Ergo cum parvuli non baptizati, futuri sint in sinistra cum reliquis reprobis, Iudex dicit illis: *Discedite in ignem aeternum;* & cum reliquis reprobis ibunt in supplicium ignis aeterni. Nec obstant verba illa iudicis: *Esurivi enim, & dedistis, &c. aut illa: Esurivi enim, & non dedistis, &c.* quae ad Christianos reprobos dirigitur: nam v. g. sicut posteriora non hic ponuntur cum exclusionem eorum quae iudex dicturus est reprobis infidelibus; ita nec ponuntur cum exclusionem eorum quae parvulis non baptizatis dicturus est. Igitur propter locum citatum omnino concedendum videtur, parvulos non baptizatos, in ignem aeternum ituros; sed simul propter magnum scholasticorum Doctorum consensum, quibus praesunt S. Thomas & S. Bonaventura, Ecclesiae Doctores, sine erroris nota negari potest, ituros ut igne torqueantur. Satis ergo videtur esse, si concedantur ituri, ut ibi captivi detineantur in aeternum, ut jam dictum est.

Opponuntur etiam rationes aliquae. Prima est: Sententia liberans parvulos non baptizatos a poena sensus, nullum habet fundamentum in Scriptura aut Patribus. Resp. 1. Falsum esse, quod nullum habeat fundamentum in Patribus: habet enim pro se saltem Gregorium Nazianzenum & Nyssenum. Quantum vero attinet ad alios Patres, qui pro opposita sententia stare videntur, S. Thomas & S. Bonaventura, alique graves Theologi iudicant illos explicationem admittere posse. Resp. 2. Fundamentum habere in Scriptura, non quidem positivum, sed negativum, quatenus nulla videtur Scriptura cogere ad dicendum parvulos non baptizatos, poena sensus in aeternum puniendos.

Secunda est: Sententia eorum, qui parvulos non baptizatos liberant a poena sensus, quantumvis fateantur illos puniri poena damni, incidit in sententiam Pelagianorum, quam tamen S. Augustinus vocat heresim Pelagianam. Ergo, &c. *Pro. ant.* Nam Pelagiani fatebantur parvulos illos a regno coelesti in aeternum excludendos esse, & per vitam aeternam, quam eis tribuebant, non aliud intelligebant, quam immuniter ab omni poena sensibili. Patet ex S.

Angu-

Augustino ferm. 14. de verbis Apostoli jam laudato, ubi sic ait de Pelagianis: *Cum dicunt non esse baptizandos saluis & vitæ æternæ percipiendæ causâ, sed tantummodo regni cælorum & regni Dei, baptizandos quidem fatentur, sed non propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum. Quid de vitæ æternâ? Habebunt, inquit, Quare habebunt? Quia nullum peccatum habent, nec ad damnationem pertinere possunt.*

Ad hanc object. quæ S. Thomam, S. Bonaventuram, & alios ferè omnes quatuor sæculorum Doctores catholicos cum Magistro Sententiarum facit Pelagianos, Resp. neg. ant. Ad prob. Resp. 1. Pelagianos falsos quidem esse, parvulos non baptizatos, à regno Dei in æternum excludendos, sed negasse excludendos in pœnam alicujus peccati. Unde pro parvulis non baptizatis, non solum pœnam sensus, sed etiam pœnam dampni negarunt, asserentes parvulos non baptizatos, nullum habere peccatum, & ita ad nullam damnationem pertinere posse. A quo errore omnino abhorrent Doctores catholici, qui parvulos non baptizatos ita eximunt à pœna sensus, ut simul doceant eos esse de numero damnatorum, utpotè propter peccatum originale, quod contraxerunt, & à quo per sacramentum regenerationis liberati non fuerunt, pœna dampni in æternum puniendos.

Resp. 2. Falsum esse, quodd Pelagiani per vitam illam æternam, quam parvulis non baptizatis tribuebant, intellexerint solum immunitatem ab omni pœna sensibili: nam per vitam illam æternam intelligebant naturalem quamdam beatitudinem, quæ certè sola immunitate ab omni pœna sensibili contineri non poterat. Quantum igitur à Pelagianorum errore distant catholici illi Doctores, qui parvulos non baptizatos eximendo ab ignis æterni cruciatu, docent eos in æternum punitum iri pœna dampni, ex hac pœna interno animi dolore in æternum cruciatum iri, & in æternum inclusum iri in tenebroso inferni carcere!

Tertia est. Parvuli in hac vita puniuntur pœna sensus: sunt enim obnoxii siti, fami, morbis, aliisque innumeris calamitatibus. Ergo etiam in alia vita punientur aliqua pœna sensus, si nimirum cum originali peccato decedant. Respondet Bellarminus, afflictiones hujus vite non infligi propriè ac directè parvulis in pœnam originalis peccati, sed consequi naturam humanam, originali justitia spoliata. Malim ego cum S. Bonaventura quæstione superius citata respondere, ad illud quod parvuli multas pœnaliares sustinent in hac vita, dicendum quod etsi temporaliter puniri pro peccato originali sit justum, non tamen sequitur, quod æternaliter.

Quarta est. Parvuli baptizati non solum videbunt Deum, sed etiam fruuntur bonis corporis, quæ beatorum dotes appellantur. Ergo à contrario, parvuli non baptizati non solum carebunt visione Dei, sed etiam pœnis sensibilibus corporis afficientur. Hoc argumentum suggerit S. Augustinus lib. 6. contra Julian. cap. 10. *Vide ergo, inquit, quam importunè nolis, parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis eum de alieno rectè factò reportare bonum, non quaecumque, sed Dei regnum; alienum quippe opus est, cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero.*

Resp. Neg. conseq. Disparitatis ratio est, quia parvulus per gratiam sanctificantem in baptismo acceptam constituitur filius Dei adoptivus, & hæres regni cælestis; unde jus habet non solum ad visionem beatificam, sed etiam ad dotes omnes corporum beatorum. At utrum parvulus non baptizatus, propter peccatum originale quocum moritur, justè puniri possit non solum pœna dampni, sed etiam ignis æterni cruciatu, controversatur; negant probabiliter hujus secunda sententiæ assertores. Autoritati autem allegatæ satisfit, si dicatur parvulum pœna dampni, & interno animi dolore, illam conse-

quente, puniri: tunc enim ab alieno peccato, si non baptizetur, magnum malum reportat; sicut, si baptizetur, de alieno rectè factò reportat magnum bonum.

Quinta est. Parvuli non baptizati, post diem judicii non habebunt corpora gloriosa, sed passibilia. Ergo revera in inferno patientur aliquid ab igne. Negat conseq. Bellarminus; & ratio ejus est, quia post judicium cessabit ortus & interitus rerum naturalium, & ita tolleretur à corporibus naturalibus vis agendi naturalis in alia corpora: unde si agent, agent tantum ut instrumenta divinæ justitiæ. Cum itaque divinæ justitiæ ratio non exigit, ut corpora parvulorum ignem patientur, immunia erunt à dolore; licet alioqui non gloriosa, sed cæterorum damnatorum corporibus similia futura sint. Eodem ferè modo respondet S. Bonaventura quæstione citata.

ARTICULUS ULTIMUS.

De penis peccati originalis in hac vita.

EAS accuratè recenset Bellarminus noster lib. 6. de statu peccati cap. 9. & sequentibus, sub nomine morborum, seu vulnerum. 1. Autem decem mentis vulnera recenset. Primum est, ignorantia rerum necessariorum in infantibus tanta, quanta nequidem in belluis cernitur. Secundum est, fatuitas, quæcum nascuntur aliqui. Tertium est, difficultas discendi. Quartum est, ignoratio finis ultimi: non enim solum omnes homines, nisi divinitus adjuventur, finem supernaturalem ignorant; sed etiam maxima pars hominum à fine naturali cognoscendo aberrat. Quintum est, ignorantia earum rerum per quas ad vitam bonam & beatam perveniri potest. Sextum est, difficultas intelligendi rerum naturas. Septimum est, ignoratio propriæ mentis. Octavum est, quodd mens nostra à corpore impediatur, ne facilè & perfectè intelligat. Nonum est, curiositas quædam: pauci enim sunt, qui aliena facta, ac præsertim errata non inquirant libentiùs & diligentius, quàm sua. Decimum est, quodd multa inania, levia, inepta volvimus animo, vel inviti, etiam alienissimo tempore. Vide caput citatum.

2. Cap. 10. voluntatis enumerat vulnera octo. Primum est, amor proprius: nam omnes, quæ sua sunt, querunt, nisi in cordibus eorum charitas Dei diffundatur per Spiritum sanctum. Secundum est, difficultas superandi vitia, & virtutes excolendi. Tertium est, incredibilis quædam negligentia in iis quæ pertinent ad beatè vivendum, tum in hac vita, tum in altera. Quartum est, immoderata sollicitudo in captandis lucris temporalibus. Quintum est, mira quædam perversitas voluntatis, quæ tardissima est ad verum Deum colendum, & promptissima ad colendos falsos deos. Sextum est, voluntatis inconstancia & instabilitas: cum rem eandem modò velit, modò nolit, modò neque planè velit, neque planè nolit. Septimum est, proprii status fastidium; quis enim forte sua contentus vivit? Octavum est, quodd nullus, nisi renovetur per gratiam, possit omnia mortalia vitare; nec per gratiam renovati, omnia venialia vitare possint sine speciali privilegio. Vide cap. citatum.

3. Cap. 11. quinque vulnera partis inferioris exponit. Primum est, quodd multi nascantur cæci, aut surdi, aut muti, aut claudi, aut alio modo in hac parte læsi. Secundum est, somniorum illusio, quæ nequidem partem illam temporis, à natura nobis ad quietem concessam, relinquit liberam. Tertium est, quodd sensus interior sæpè mirum in modum intelligentiam impediatur & confundatur, animo varia figmenta suggerendo, & à rerum cælestium contemplatione ad suas nugas penè violentè avertendo. Quartum est, infirmitas in appetitu irascibili, qui plerumque